

gam fulicariam et anatem acutam e Cimbria accepimus. Haud pauca mihi sunt hujus et aliarum regionum insecta hactenus nunquam descripta e. g. Cimices, Cerambyces, Lepturæ, Necdalis et Dermestes Africani, si itaque descriptiones eorum, quæ plus unica vice nondum possideo, Tibi sufficiant, maxima cum industria ejusmodi, de quorum novitate certissimus sum, transmittam, iconemque, ubi tempus affuerit, pro viribus elaboratum, addam. Papilionem Heliconium, cum Comite transmissum, in Systemate Tuo postea vidi descriptum. Ceterum de me meisque studiis bene sentire perge, me autem semper invenies

Dabam Hafniæ
in Collegio Elersiano
d. 23. Julij 1764.

Tanti Nominis
cultorem observantissimum
M. Th. Brünnichius.

(41) Generoso et Perillustri
Equiti
Dno. Carolo von Linné
S. pl. d.

Martinus Thrane Brünnichius.

Literas quas dedisti haud exigui favoris documentum habeo; gratias maximas et debitas quam humillime offero; majores, si possem, deberem Tibi, Vir Generose! qui tam multis occupatissimus et tam vasta eruditione præclarus me tyronem in arte, Tuo perdocto et gratioso commercio literario dignari velles. Excepi maxima cum æstimatione dubia ea, quæ contra ornithologiam habes, eaque ita explicare tentatus sum: Pelecanus 120 et 122 differunt gula et macula insigni ante femora albis. Putarem hos esse diversos, carbo enim satis frequens, è contra phalacrocorax una cum cristato. Rev. Dno Ström nequaquam visus, famâ autem tantum modo notus. Phalacrocoracem et cristatum possideo, quos Tibi offerrem, si occasio sese offenderet.

Pelec. 120 et 121 forsân variatio sexus? vix ætatis, hujus enim notam pono in pectore cinerascente vel nigro.